Quaestio Quodlibetaria agit. In Scholis Medicorum die Jovis 29a Januarii. M
vol 19 p.

Joanne Riolano Moderatore Sapientissimo.

Estne urina febrium certior Index, quam Pulsus?

Cum Medici tria sint munera, morbos et eorum et propria hominum naturae dignoscere, futura in eis praesagire, et contrariis pari dexteritate adhibitis praesidiis curare, ipsi autem recessus morbi (quorum cognitio inventionis remediorum est principium) variis modo nascentibus sint similes, eorum certo intus + abditi fomites, motus praecipites, dubiique exitus illius falso judicium fallentes, nisi signis affectus locum, et affectus speciem, nonnunquam etiam utrumque simul indicantibus se prodere, inter quae maximam vim obtinere pulsus et urina: siquidem ille cum sit motus cordis ab anima vitali, haec quia sanguinis sobolis in sero, naturae est internuncia, quorum beneficio nostrum corpus perduret.

Utrumque signum in suo genere naturale, optimum, et exquisite sanorum simillimum unum est, praeter naturam autem multiplex, unde quam plurimas consequuntur utrinque differentias: pulsus quidem symmetriam non servantis a diastole, ictuum intervallo, et ordine petitas: urinae vero non naturalis a substantia, quantitate, qualitate et contentis tribus loco tantum differentibus sumptas; sed maxime a sedimento in sanis ex alimenti reliquiis ultimi genito, in aegris ex morbi materia deciduo, quod quia leve, album, et aequale est (si modo laudabile est) partium inflammatarum puri, mediam exquisita coctionis, et perfectae putredinis naturam adepto proportione respondet.

Urina naturalis vel et pulsus in differentiis, causis, et judiciis consistit. Certum autem ea verius judicium, si non modo a somno prima, et expleta cibi coctione, atque universa excipiatur, sed etiam si quavis hora tam mane, quam vespere per febres inspiciatur, quarum, sive propriarum cordis affectionum, materiam, speciem, morem, periodum, tempora, motum, et putredinis focum, naturae ad morbum rationem, denique comparandorum remediorum occasionem longe certius indicat, quam pulsus + arteriarum (a quibus urina parte sui plurima est decidua) motus respirationi analogus, sed haec ad vitam minus necessaria, priscis non tam incognitus, quam sponte ob judicii fallaciam neglectus.

Hanc pulsus in praesagiendo imparem certitudine faciunt externae causae et a rebus non naturalibus corpora continentes et necessario immutantibus ortae, efficientes et internas inaequalitates, et raro simul ad eundem finem concurrere solitas: his accedunt aetates, anni tempora, regiones, temperamenta, eaque propria vel acquisita, quemadmodum tractus latissimus patentis sensus ignaviae, et exacta quidem motusque spatiorum difficilis in pulsu perspicientia, quem etiam levis interdum occasio + confestim in contrarias differentias immutat: urina vero ab his judicii impedimentis secura, cum coctionis (cernenda potius substantia quam colore, etsi is interdum prius generetur, quam substantia) morbi tam salvo nubecula rubra quarto die apparente, per criticam excretionem (meliorem quam abscessum) terminantur, ut in febribus acutis, cum calore intolerabili, et siti inexplebili semper invadentibus, ob idque intempestivo frigidae potu ac venae sectione curandis, soli ipsi credendum sit.

Unde non solum in affectibus renum generis proprieque, venarum et vesicae vitiis, sed et ventris intestinorum, thoracis, pulmonum, capitis, nervorumque morbis ad dignosin et prognosin (sine quibus curatio similis artis tuto haberi nequit) diligenter inspicienda est, quandoquidem in his si sit laudabilis, non tam certo apparet ad salutem, quam prava ad mortem. Hanc vero tenuis et alba (in pueris perniciosa) delirio supervenientis in propinquo esse significat, sicut et nigra raro tenuis, eo tamen deterior, quo crassior, citra crisim (nullis praecedentibus signis coctionis multos fallentibus salvo vultu) in ardentibus apparens, quarum vigorem nihil mutato pulsu antevertit urinae suppressio, alvo multa ~~[illegible]~~ excrementa frequens, diabetes contraria affectio, et vesicae refrigerationis vehementis.

Ergo urina febrium certior Index quam Pulsus.

F.M.P. BIBLIOTHÈQUE

Respondebat Jacobus Nicolas Parisiensis. anno. 1576.

D. D. Disputaturi.

M. Bonaventura Grangier.
M. Joannes Marion.
M. Andreas du Brëuil.

M. Claudius Bazin.
M. Joannes Lamy.
M. Gentiens Blacuod.

M. Ludovicus Thibault.
M. Joannes de Verneüil
M. Guillelmus de la Barre.